

Alte Drucke

**DISPVTATIO || DE INTELLECTVS || humani immortalitate, ||
ex dissertationibus || MARCI ANTONII GENVAE || Patauini
Peripatetici insignis. ||**

Genua, Marcantonio

Monte Regali, 1565

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.


Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150935

1
DISPVATIO
DE INTELLECTVS
humani immortalitate,
ex disertationibus

MARCI ANTONII GENVÆ
Patauini Peripatetici insignis.



IN MONTE REGALI
Excudebat Leonardus Torrentinus,
M D. L X V.

DISPUTATIO

DE VITIIS

et de virtutibus

et de vitiis

et de vitiis

et de vitiis



IN VITIIS

et de vitiis

et de vitiis

AD CLARISSIMUM,
 & Illust. virum Carolum, Lu-
 cernæ Comitem, Angroniæ
 Dominum, Serenissimi Ducis
 Sabaudia consiliarium, Mon-
 tis Regalis præfectū & Acade-
 miæ moderatorem optimum.

Antonius Berga Philosophus et Medicus.



*Vm plurima Magnifice
 Carole apud me sint Mar-
 ci Antonij Genuæ præ-
 ceptoris mei philosopho-
 rum facile principis sa-
 pientia monimenta, quæ
 quidem propter tanti Doctoris auctori-
 tem, vt ad omnium vtilitatem edantur, di-
 gna esse videntur. In primis, Ego officio
 meo satisfactum iri putavi, si eam disputa-
 tionem, quam de Animorum immortalita-
 te summa cum laude in celebri Patauinorū
 Academia habuit, ut in lucem quamprimū
 daretur, omni cum diligentia præstarem.*

A ij De

De quo quidem ubi cogitarem, tibi illam si nuncuparem, me operæpretium facturū existimaui: cum res ipsa adeò præclara sit, ut præclaro homini deberi uideatur: Quòd sane ut facerem, plurima requirunt, tum quod omni officij genere me indies prosequaris, tum quod si in egregio homine præter heroicos mores, rerum multarum cognitionem quispiam desideret, omnia in te summa esse conspiciet: quandoquidem eam laudem animi tui magnitudine comparaueris, ut illud de te omnes prædicent, Subalpinam regionē Serenissimo Principi in fluctuante fortuna verè seruasse, propterea quòd Cuneum urbem validissimam virtute bellica ab oppugnatione ita uindicaueris, ut res Gallorum secundas in aduersas commutaueris, paci autem occasionem & bello finem ferè imposueris: Quibus nihil per Deos immortales melius contingere poterat, cum summa tranquillitate fruamur. Hisce autem Magnifice Carole minimè contentus militari negotio leuatus, omne studium ad liberales disciplinas contulisti, atque de celebri Gymnasio in Subalpina ditone erigendo cogitasti, quod
iniu.

iniuria bellorum collapsum erat : tantumq;
curæ in ea provincia adhibuisti, ut sex men-
sum spatio Serenissimus Princeps adeo flo-
rentem Academiam in Monteregali collo-
cauerit, doctissimis uiris undiq; magnis sum-
ptibus conuocatis, ut ceteras Doctorum au-
ctoritate anteire videatur. Cum quibus sem-
per uiueres, si à principis latere, qui tuo cōsi-
lio utitur, discedere pro arbitrio tibi daretur :
Nihil enim melius habes quàm de om-
ni scientiarum genere differere atq; Natu-
ræ opera admirari : fossilium siquidem fodi-
næ antea incognitæ nunc tua opera & indu-
stria non modicam metallorum copiam sup-
petant. Quòd si multarum rerum usum præ-
terea adiungerem, epistola opus quod emit-
to facile superaret. Suscipe itaque Magnifi-
ce Carole pro tua humanitate munus hoc
meum, memorq; mei interea esto . Vale ex
Monteregali .

A iij MAR-

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text appears to be organized into several paragraphs.

7
MARCI ANTONII
GENVAE DE INTELLE-
CTVS HVMANI

IMMORTALITATE

Disputatio.



Xplanatis ad unguem omnibus, quæ ad illâ partem Animæ qua homo sapit atque intelligit, spectare uidentur, operæpretium est, ut de illius immortalitate disputemus: propterea quòd adhuc in fundamentis Peripateticis dubium esse uideatur, an intellectus quo homo intelligere dicitur, sit mortalis uel immortalis: Quod ita esse variorum Philosophorum & Theologorum sententiæ declarant.

In primis non defuerunt quos Medici sequuntur, qui Animam humanam temperamentum putauerunt esse atque intellectum, quemadmodum vegetatiua & sensitiua ex semine traduci beneficio caloris stellarum & matricis agentis in menstrua: quod Galenus in lib. de semine & de formatione foetus ita esse testatur, quando ait, se nihil certi

A iiij habere

habere de substantia intellectiua animæ :
atque si aliquid est dicendum, illam tempera-
turā esse, quod auctoritate Arist. confirma-
ri potest, qui in lib. de Anima inquit Animā
esse speciem actu quæ intellectus est : quare
si est species, aut erit partium similiarium aut
dissimiliarium : non dissimiliarium propte-
rea quod simplex sit, igitur similiarium quæ
temperatura existit.

Medicis, qui nihil supra sensus speculan-
tur, hæc opinio relinquatur, quoniam illā
temperaturam non esse ostendemus.

Itaque ut a Theologis & Philosophis di-
sputationē exordiamur, inter eos qui crea-
tionem ponunt, Alij putauerunt creatione
noua humanas animas produci & corpori-
bus infundi, ita ut primum a uirtute forma-
tiua corpus fiat organicum, mox creetur
anima, quæ tale corpus informare ualeat, in
quo Theologi omnes conueniunt, qui fi-
dem catholicam sectantur. Illi autem, qui
creationem æternam ponunt, ante genera-
tionem corporum animas ab æterno pro-
ductas fuisse voluerunt, & infusas corpo-
ribus, veluti in carceribus detineri, cuius
sententiæ videtur esse Plato & qui eius dog-
mata sequuntur.

Peripatetici autem, qui de creatione no-

ua nullam rationem habent, nec de æterna quæ sit animæ humanæ, varias & ipsi sententias habent: Quum Alexander, quem multi Recentiores sequuti sunt, præsertim Pomponatius Mantuanus, mortalem esse putauerit. Alij autem immortalē. Theoph. Themistius, Simplicius & Auerroes.

Vt autem quæcumque melius attingere possimus, & methodo quadā in hac perdifficili materia uti: primum quædam dicta ab Arist. in. 3. de Anima proponimus, in quibus problema hoc constitutum esse uidetur: in primo enim capite agens de intellectu materiali, imprimis ait illum esse impassibilem, immixtum, nullius corporis actū, quoniam esset aut calidus aut frigidus: deinde verò in hoc intellectum à sensu differre, quoniam intellectus cum intellexerit ali quod valde intelligibile, non minus intelligit inferiora, sed & magis: sensus autem ex vehementi sono non potest sensibile sentire, ut hominem ex magnis sonis, neque ex fortibus odoribus aut coloribus videre, & odorare. Amplius in 2. de generatione animalium cap. 3. Mens sola extrinsecus accedit, neque cum illa comunicat actio corporalis. In 2. autem de Anima 20. videtur quoddam genus animæ esse quod ab alijs
separa

separatur veluti perpetuum à corruptibili :
Metaphy. præterea 12. part. 17. si autem ali-
quid posterius permanet considerandum
est, in quibusdam enim nihil prohibet velu-
ti si anima tale sit, non omnis sed intelle-
ctus, omnem namque fortassis impossibi-
le est.

Pomponatius, cum quo disputare decre-
uimus, dicta hæc proponit atque in suam
sententiam trahere studet, quod ut assequi
valeat, primum distinguit mortale atque
immortale in simpliciter & secundum quid :
deinde declarat, quid nam sit dependere
subiectiue & obiectiue, atq; conclusiones
suas de mortalitate animæ rationibus & au-
thoritate confirmat. Mortale autem ab im-
mortali apud eum distingui in simplici-
ter & secundum quid deducit : Nam ho-
mo uidetur quodammodo esse particeps
mortalitatis atq; immortalitatis : quoniam
gradus vegetatiuus & sensituius cum sint
potentia in semine, videntur mortales, in-
tellectuius autem cum de foris accedat, im-
mortalis. Quo posito, inquit, vel erit dicen-
dum unam & eandem animam esse quæ di-
citur mortalis atque immortalis, uel quid
diuersè : si vna, aut erit una numero in om-
nibus hominibus immortalis, aut plures ;
primum

primum fieri non potest, propterea quòd de eodem opposita verificarentur, mortale scilicet & immortale, siue mortale & immortale simpliciter siue secundum quid acceperimus: si vero dixerimus esse diuerfas, aut est dicendum immortalem vnā numero in omnibus esse, quemadmodum Auerro. cum Themistio putauit: mortalem verò diuerfas esse & plures, primum autem inquit Pompon. dari non potest, quoniam est purum figmentum, asserere vnā numero intellectiuā animā quæ immortalis dicitur esse. Quare est dicendum quòd sint plures & mortales quod auctoritate Arist. ita esse confirmat ex primo de Anima. 13. videtur autem plurimorum nullum sine corpore pati neq; agere ut irasci cōfidere desiderare omnino sentire, maxime autem assimilatur proprio ipsum intelligere, si autē est. & hoc imaginatio quædam aut non sine imaginatione, non continget utiq; hoc sine corpore esse, quod videtur arguere mortales esse & per consequens quod sint plures. Nec ualet inquit Pomp. aduersus Auer. cum hypotheticè loquatur Arist. hoc non esse superficiei: nus intelligendum, quoniam in 39. Arist. ait, Intellectum minimè intelligere absq; phantasia

phantasia, atque intelligentem esse necessarium phantasmata speculari. Præterea arguit fundamento accepto ab Arist. in definitione animæ Anima est actus corporis, igitur essentia corporis, si essentia. igitur dependet a corpore, propterea quod forma dependet à materia, cum ab ea deducta sit ab agente à potentia ad actum, At videns solutionem quæ afferri posset Animæ intellectiuam duplicem habere considerationem, quoniam ut anima est, cum respiciat corpus, necessario obiectiue à corpore dependet: ut autem est intellectus, minime: quoniam nullo pacto a corpore dependet. quare de intellectu agit metaphysicus, qui de omnino separatis considerationem facit. Respondet hoc minimè verum esse, quoniam Arist. in 2. Phys. 36. ponens terminum contemplationis naturalis inquit esse intellectum humanum. atque cum terminus non maneat in ipso si est, sed transeat ad quid est ipsius intellectus humani, in quo quidem materiam prætermittere non potest quoniā in definitione formarū naturalium: materiā, accipit inquit, anima humana, quæ intellectus est, non erit sine corpore, & per consequens est mortalis. Amplius inquit iste Doctor rationabile valde esse ani-

animam humanam duas habere operationes, alteram cum phantasia, alteram vero sine phantasia. operatio autem esse supponit, quare istę operationes cum sint diuersę, arguunt principia diuersa, igitur anima non est vna sed plures, si plures, igitur mortales.

Postremo arguit, si anima intellectuā esset immortalis, sensitīua vero mortalis vtręque actū est & altera per alteram non perficitur, igitur non est vna, quoniam dabitur in animato pluralitas formarum. atque adhuc alterum adiungit acceptum ab Arist. ex 2. Phys. 20. Separabilia quidem forma, in materia autem, & hæ sunt plures numero.

Diui præterea Thomę qui in fundamentis etiam peripateticis animę immortalitatem defendere studet, sententiam recitat, atque illam infirmare conatur.

Thomas sustinuit illud membrum, plures animas esse numero distinctas in hominibus atque illas immortales esse. Quam profectò sententiam duabus conclusionibus positis scribit, quarum altera est, intellectiuium, & sensitīuium in homine substantia eadem esse, altera autem animam humanam dare esse specificum homini, ita vt sit forma dans esse, non autem assistens. Adiungit & aliud à fide catholica desumptum,

Animam

Animam humanam noua creatione incipere cum corpore : illam tamen cum corpore minime deficere . Esse autem omnes animæ potentias immortales ex eo ostendere studet, quoniam supposito quòd vna sit & eadem anima in homine quæ intelligit sentit & uiuit : si intellectiua immortalis est, igitur & ceteræ immortales erunt . Intellectiua vero perpetuam fore ex 3. de Anima habetur, cum intellectus omnes formas intelligat : Atq; si anima intellectiua mortalis esset, sequeretur omne quod in illa recipitur potentia intellectum esse, nec actu esse aliquod intelligibiliũ, quod est falsum, quoniam intellectus ex 3. de Anima est actu omnia intelligibilia cū est perfectus . Amplius si intellectus esset mortalis & uirtus organica, sequeretur aut quòd non intelligeret aut vniuersaliter res tum materiales tum immateriales minime cognosceret: at intellectus vniuersalium tantum est, igitur relinquitur, illum virtutem incorpoream & immaterialem fore, & per consequens immortalem.

Arguit Pomponatius contra Diuũ Thomam, & primo videri petere principium, quoniam non est certum nec ab aliquo Peripateticorum concessum animam intellectiuam

ctiuam in homine & alijs vnā & eandem esse, & immortalem. Præterea secundum Peripateticos, qui nouam creationem minime admittunt, falsum est dicere Animam creatione noua a Deo productam esse, interituram præterea non esse, quoniam contrarium scripsit Arist. in lib. de Cælo. Quod incipit esse definit esse contra Platonem, qui Mundum creatum profitetur & æternum in futuro. Quare si anima intellectiua creatione noua incepit esse, profecto erit necessarium illam definere esse & mortalem dicere, non autem immortalem.

Theologorum opinione, & catholica ita confutata Pomponatius suam proponit atq; inquit, Animam humanam simpliciter mortalem fore, secundum quid verò immortalem. fundamentum propterea quod cognitio quæcumq; sit, supponitur a materia abstracta, nec nõ à conditionibus materiæ quoniam quod materiale est, sua ratione non cognoscitur, ita ut sensus & si materiale cognoscere uideatur, materialiter tamen nõ cognoscit, sed per species quæ sunt immateriales. Intellectus tamen cum non subiectiue, sed obiectiue à corpore dependeat, dicitur immortalis, sensitiua virtus mortalis, ita ut penes intellectum homo fit immor-

immortalis; penes alias virtutes mortalis. Quod Arist. auctoritate confirmari potest, qui in primo de Anima 65. ait. Si senex haberet oculum iuuenis, videret ut iuuenis, quare sensum ab organo dependere patet, & propterea esse penes hanc virtutem animæ hominem mortalem. & vegetatiuā quæ suas operationes absque organo corporeo exercere non potest.

Itaque cum dentur hæc duo extrema, est necessarium aliquod medium dari, & hoc est intellectus humanus, qui vtriusque particeps esse videtur: quia non est omnino abstractus, cum obiectiue saltem dependere uideatur. quare intellectus humanus est virtus media inter penitus abstracta & non abstracta, vnde dixit Propheta, Minuisti eum paulo minus ab Angelis. Minuere autem ab angelis nihil aliud est, quàm obiectiue dependere, neque inquit perinde est dicendum de intellectu humano, vt de intelligentia, quæ nihil recipit ab orbe quem mouet; quoniā intellectus humanus cum per species intelligat, ab orbe recipit: neque etiam cum hoc pacto intelligit intellectus possibilis, dicendum est cum Auer. hoc illi contingere per accidens, propterea quod sit progressus & quodāmodo imperfectus.

quo-

quoniam vnus virtutis cum vnica sit operatio essentialis, si intellectus possibilis est una virtus, opus est ut vnā habeat essentialē operationem quæ est cum phantasia intelligere: Præterea si sensitua virtus numquam vertitur in intellectuam, quoniam illius vna solum est operatio essentialis, eodem pacto & intellectuam numquam mutabitur in intelligentiam, cum vna sit eius operatio essentialis: Quare intellectus humanus sensitivæ comparatus & vegetativæ est quidem immortalis, simpliciter tamen acceptus est mortalis. Quibus hunc in modum constitutis, declarare nititur, quid nam sit dependere subiectivè & quid obiectivè. Subiectivè autem omnem virtutem dependere statuit, quæ ab agente via generationis de potentia materiæ ad actum deducitur, veluti sunt virtutes omnes materiales, quæ informare videntur, hoc modo intellectus humanus minimè dependet, propterea quod sit virtus excellens, quæ supra se ipsam reflectitur & vniuersaliter cognoscit. Obiectivè autem dependere est, quando virtus aliquid cognoscere non potest absque præsentia obiecti, à quo multiplicatur species, & hoc pacto intellectus humanus dependet. quod arguit intellectum

B huma-

humanum mortalem; quia omnis operatio
essentiam supponit: quare recedente anima
à corpore, cum non habeat obiectum præ-
sens, sua frustrabitur operatione, quare si
operatio desinit, & essentiam à qua oritur
interire oportet, quoniam nisi hoc fieret,
sequeretur dari essentiam absque operatio-
ne, quod est falsum, igitur anima cum a
phantasia dependeat moritur. Ad au-
toritates de mente Aristotelis propositas
in principio, quæ illius sententiam infirma-
re videntur respondet. primum autem ad
illa dicta quod intellectus nullius sit corpo-
ris actus atque immixtus inquit subiectiue
verum esse, obiectiue autem nequaquam,
quoniã humanus intellectus semper a phan-
tasia dependet. Ad alterum dictum uel erit
calidus uel frigidus, inquit, illa ratio Arist.
non procedit, quoniam etiam procederet
contra Thomam. Ad dictum Arist. quod
intellectus non corrumpitur à vehemēti
intelligibili hoc est quoniam subiectiue
ab organo nō dependet ueluti sensus. Dein
de diuertit ad dicta in lib. de Generatione
animalium, verū illud esse de uera mente,
non autem de intellectu humano: uel di-
cendum est, inquit, uerum esse si compa-
rauerimus intellectum vegetatiue & sensi-
tiue

tiue, absolutè tamen non est verum illum extrinsecus accedere, quoniam non constituitur per subiectum. Ad illud duodecim Meta. inquit dubitatiuè locutum fuisse Aristotelem, cum dixerit forsan, quapropter relinquitur intellectiuam animam secundū quid esse immortalem, simpliciter autem mortalem. Ad alterum autem Ad naturalē non spectare agere de intellectu, quoniam ageret de omni intelligibili inquit non intelligi de humano. Scotus summus Theologus opinionem hanc in via Peripatetica tenere videtur in 4. Sen. Dist. 43. quæst. 3. vbi in hac materia duas conclusiones ponit, Prima intellectiuam animam esse formā dantem esse homini, ita ut per illam homo a ceteris differat animalibus, quemadmodū bruta a plantis per sensitiuam. Secunda conclusio ab eo posita hæc est, si Anima intellectiua dat esse, necessario mortalem fore quemadmodum vegetatiua & sensitua. Primam, quoniam uidetur dubia, confirmat ex definitione hominis, propterea quod dicimus hominem esse animal rationale definitio autem cum exprimat partes definitiōis essentielles, erit necessarium animam rationalem dare illi esse ita ut dicere illam nō dare esse & informare cum Auerroes sit præter

rationē, ita ut intellectus sit forma aſiſtens, quæ tantum copuletur nobis per phāſmata: immo in Auer. adeo inſurgit ut dicat, & iſte maledictus homo ſolus fuit in hac opinione, qui contradixerit Theologiæ & Philoſophiæ. Præterea deſcendens ad alteram concluſionem, inquit, & ſi ualde dubium ſit, an intellectus ſit perpetuus an verò corruptibilis, potius tamen tenendum eſt in via naturali & ſecundum Ariſt. illum mortale fore. atque non ueretur imponere Ariſt. quod in hoc problemate non ſibi conſtet, quoniam aliquando uidetur affirmare intellectum mortalem fore, aliquando verò immortalem. At cum videret locum Ariſt. in 3. de Anima ſenſus patitur à vehementibus ſonis, intellectus autem non patitur ab excellenti intelligibili, inquit dictum Ariſt. intelligendum eſſe quod non ſit ſubiectiue dependens non autem obiectiue: quare cum omnino non ſit ſeparatus, eſt mortalis. Soluere conatur & alterum dictum q̃ Mens ſola extrinſecus accedat neque cum illa communicat actio corporalis, atq; inquit eſt dicendum ſi intelligitur de intellectu humano, quòd non ſit perpetua a parte ante, ſed tantum a parte poſt. Ad eam rationem, dicitur foris accedere quoniam quòd per quandam

dam productionem transit de non animato ad animatum, quæ nouitas cum sit solum animæ propterea dicitur extrinsecus aduenire. quare Animæ intellectiux cum etiam sint numeratæ ad numerum indiuiduorū, necessarium est quod sint mortales.

Alexander, qui primus inter Arist. interpretes uidetur animæ intellectiux mortalitatem sustinuisse in lib. de intellectu inquit. Materialem intellectum uirtute agentis naturalis eductum esse ab elementis inuicem mistis & temperatis, sed esse formam perfectissimam & nobilissimam quæ proportionem & symmetriā quattuor elementorum sequi valeat atque educi de potentia materie, quæ quidem forma nihil aliud est quàm preparatio quædam. Quæ vero ait Ari. in 3. de Anima intellectum impassibilem immittum & reliqua intelligi de Deo, qui est intellectus agēs, & causā quod intellectus fiat in nobis vnde dicitur intellectus siue Mens de foris accedere: non autem intellectus materialis, qui est forma hominis vltima: quare est simpliciter mortalis quemadmodum inferiores formæ & virtutes quæ in mortalibus reperiuntur.

Alij autem inter Peripateticos Themistius, Simplicius, Auerroes tenuerunt Animam

nam intellectiuam simpliciter immortalē.

Itaque ut commodius ueritatem in hoc problemate assequi ualeamus, tria sunt de quibus in primis nobis agendum esse uidetur. Primum ut in medium afferamus dicta quæ opinionem hanc impugnare possunt: Secundū ut uerā dictorum Arist. sententiam exponamus: Tertium autem ut positionem ueram autoritatibus & rationibus validissimis confirmemus. Pomponatius plurima contra hanc sententiam loca Arist. attulit: primum autem desumpsit ab Arist. in primo de anima intellectum numquā esse sine phantasia, quod uidens Auerr. qui animæ rationalis immortalitatem tuetur, inquit hoc dictum superficie tenus non esse intelligendum: quare uidetur Auerroes affirmare quod aliquando à phantasia intellectus dependeat, ipsum tamen semper dependere colligitur aperte ex 3. de anima. 30. cum inquit Arist. Quapropter numquā sine phantasmate intelligit anima. Iste doctor, pace eius dixerim, neque Arist. neque Auerroim intellexit. Etenim Auerr. in Cō. cum dicit intellectus est abstractus ita ut non sit corpus nec virtus in corpore, impossibile tamen est intellectum absque phantasia intelligere quod superficie tenus nō est intel-

intelligendum ait Auerroes. itaque si Arist. sentiret id quod putauit Pomponatius, Auerroes fecisset possibile quod est impossibile. Attamen posset quispiam dicere uoluisse Auerr. hoc contingere intellectui in alio statu in quo est actu separatus, quod dici secundum Auerrois fundamenta non potest, quoniam etiam cum factus est mens, indiget phantasia, sed aliter quam ubi est imperfectus & adhuc progressus ad phantasmatum, non autem in se ipso manens, quod Auerr. a Simplicio accepit, qui agens de intellectu humano, inquit, intellectus humanus, quia ordine suo ab æterno sortitus est Sphæram humanam adedò imperfectam ita ut nouam generationem particularium hominum, qui successiue generantur reddatur magis imperfectus. Hæc intelligentiam ut sic progressa est, & propterea cum uult intelligere, occasione mendicat a phantasmatibus, tandem ex ipsa intellectuione quotidie perficitur, ita ut non amplius conuertatur ad phantasias, sed in se ipsa manet, quoniam in eo statu perfectissimo cū actu intelligit & est facta omnia intelligibilia illi contingit id, quod ceteris intelligentijs accidit, quæ a cælo non dependent sed cælum vnumquodque à propria intelligentia.

B iiij quæ

que mouet cœlum in genere causæ finalis;
& cœlum consequitur intelligentiam, adeo
quod ab ipsa intelligentia dependet, non
autem intelligentia ab illo. Quod quidem
etiam intellectui humano cum perfectus
fuerit, in copulatione agentis contingere
videtur, qui etsi non sit sine phantasia, at-
tamen in suo statu perfectissimo cum factus
est Mens, occasionem intelligendi non fu-
mit a phantasmatibus, sed cum se ipsum in-
telligens, omnia intelligat, phantasia illum
consequitur intelligentē veluti umbra cor-
pus. Inquit itaq; Auer. impossibile quidem
est intellectum absque phantasia intelligen-
re, & hoc non esse quomodocumque intel-
ligendum, quoniam tunc intellectus mate-
rialis esset generabilis & corruptibilis, pro-
pterea quod semper a, phantasia depende-
ret & numquam per essentiam intelligeret.
Quod vero Aristotelem non intellexerit
Pomponatius, ostendi facile potest, quo-
niam Aristoteles ibi mentionē facit de om-
nibus habitibus dependentibus a materia,
atque intellectus hos habitus intelligens,
ab ipsa phantasia dependet, ita ut tantum cū
est in habitu mathematico aut naturali, di-
catur a, phantasia dependere, non autem cū
est actu intelligens, quoniā intellectus actu
est

indivisibilem, circa quæ non cadit veritas nec falsitas ex 3. de Anima.

Cum itaq; inquit iste doctor, Aristotelem loquutum fuisse hypothetice atque illum si ne phantasia nequaquam intelligere, uerū profecto est de intellectu in habitu, non autem de intellectu in actu. Secundum argumentum quod aduersus Auerroim proponit, est familiare omnibus illis, qui mortalitatem animæ defendunt; Etenim dicere animam esse actum, significat illam corporis formam esse & per consequens essentiam, quæ a corpore est inseparabilis. At cum videret euitari posse hanc rationem, quoniā cum sit differentia ex Arist. sententia inter animam & intellectum, poterit considerari anima ut intellectus, & hoc pacto & actum a corpore separabilem. inquit nihil peius afferri potest, quoniam anima humana quatenus intelligētia a Metaphysico consideratur nō autem a naturali Philosopho. Dicimus tamen nos ad rationem illius Animam actum quidem esse, igitur est a corpore inseparabilis, negamus consequentiam, quoniam actus non secundum eandem rationem dicitur de omni anima, quoniam analogice dicitur de intellectu & de alijs, quemadmodum Arist. indicasse uisus est,
cum

cum subiunxit. Dubium esse an sit actus si-
cut Nauta naui, duplex. n. est actus primus
alter dans esse. qui formis a corpore & ma-
teria inseparabilibus conuenit, alter uero
est actus assistens, qui separatis debetur,
vnde intelligentiæ nō sunt formæ dantes es-
se orbibus sed assistentes, quemadmodum
Nauta naui, ita ut non sit Nauis per Nau-
tam, sed tantum Nauis nauigans. quare nō
est uerum est actus anima, igitur est insepara-
bilis, propterea quod intellectus non est
forma dans esse, sed assistens homini, intel-
lectus enim, passiuus ille est qui est forma
dans esse homini, intellectus autem est tan-
tum forma siue principium quo homo in-
telligit, & hic intellectus non unitur nobis
per operationes, quemadmodum aliqui
tribuunt Auerroi, quoniā duplex vnio repe-
ritur, altera est vnio intellectus per cogita-
tiuam, altera autem per habitus speculati-
uos, unde intellectus secundum mentem
Auerrois est actus corporis secundum habi-
tus in potentia ad operationes, non autem
dans esse, & hoc pacto anima dicitur actus
primus in hominibus. Quando præterea
inquit Pomponatius. Homo operatur per
animam, igitur anima est pars essentialis,
concedimus, sed intelligit per intellectum,
igitur

igitur intellectus est forma dans esse, non ualet, quia est forma unita homini per habitus, quemadmodum Nauta naui per temonem & remos. Etenim primum Nauta vnitur naui, ita ut sit actus primus assis- tens naui: deinde uero Nauta exercet suā operationem, & nauigat, quod etiam intellectui contingit cum nō actu intelligit, est actus primus assis- tens homini, non dans esse, quod cognoscens Arist. subiunxit, non esse manifestum utrū anima sit actus sicut Nau- ta nauis, quod propter animam intellectu- uam dicere oportuit. Ad aliam rationem ab eo allatam Arist. statuit terminum natu- ralis Philosophi in consideratione formarū esse intellectum humanum, cuius quid est declarat, quoniam etiam ad si est primi mo- uētis ascendit igitur est corruptibilis, quo- niam tantum definit naturalis formas gene- rables & corruptibiles quę sunt cum ma- teria & motu. ex Arist. in fine primi libri de Physica auscultatione, hęc ratio nullum nobis negotiū facere potest, si recte Arist. & Auerrois dicta intelligantur. Dubitat enim ibi Arist. cum dixerit materiam & for- mam esse ad aliquid, quem terminum ha- beat naturalis pro cognitione forme, atque soluens inquit quemadmodum Medicus con-
fide-

considerat sanitatem in carne, sic naturalis formas in materia considerat, & omnem quidditatem, igitur formam hominis: uerum quidem est, sed non intellectum, quoniam homo nō est homo per intellectum, sed per cogitatuam, per quam dicitur generabilis & corruptibilis, impossibile enim est dicere intellectum immortalem, & dare esse homini. Nullam enim facit mentionem Arist. de intellectu, sed tantum determinat Naturalem cōtemplari formas in materia, quoniam ueluti notat Auer. immateriales formę a metaphysico considerātur. Aliam preterea adiunxit rationem. Consensaneum nequaquam fore quod vna & eadē virtus duas habeat operationes, alteram cū phātasia alterā uero sine phantasia, quoniā operationes diuersę arguunt essentias diuersas. Hęc ratio ex dictis a nobis iam sublata esse videtur, propterea quod eadem virtus eodem modo se habens, non potest diferentes operationes exercere, sed vna virtus secundum substantiam propter diuersas habitudines atque respectus, quos suscipere potest, diuersas operationes facere ualet, ita ut intellectus cum imperfectus est, cum phantasia intelligat, perfectus autem absq; phantasia, cum per essentiam intelligat non
autem

autem per species : cum autem inquit, fieri non posse, cum intellectus intelligit, quin altero duorum modorum intelligat, uel cum phantasia vel absque phantasia, solum etiam est hoc argumentum, quoniam duplicem statum intellectum humanum habere diximus, alterum in quo est progressus, in quo a phantasia dependet, alterum cum est in se ipso manens, in quo phantasia illum consequitur, ueluti orbis suam intelligentiam, a qua dependet. Arguit præterea contra dictum Auer. quod anima intellectiua sit una numero, hoc enim verum esse non potest ex dictis Arist. in 2. Phy. separatæ species non in materia & hæ plures numero sunt. Hoc argumentum non ualeat, quoniam si sermo factus esset de animabus hominum intellectiuis, non esset communis omnibus formis naturalibus, ut dicitur eo in loco atque hoc ita esse cum Arist. declarare possumus, qui dubitationem propositam sumpta similitudine a Medico dissoluit, ita ut quemadmodum Medicus sanitatem in nervo contemplatur, ita & naturalis Philosophus ipsas formas ut scilicet sunt materiales, non autem abstractæ, quoniam istæ formæ secundum rationem possunt a materia separari, quoniam ueluti etiam notauit Alexander,
utitur

utitur naturalis quandoque Mathematica abstractione. vnde sermonem habet de omnibus formis naturalibus, non autem de anima intellectiua, quæ separata est. plures .n. tantum illæ dicuntur formæ, quæ materiales sunt, non autem immateriales. Ad fundamentum autem quod adiungit si intellectus fuerit in nobis, qui non tribuat esse, perinde erit de vnione illius ut de vnione Boum cum plauistro, si intelligeretur intellectum extrinsecus esse in nobis, intrinsecus tantū ipsam operationē habere, verum esset, quod proponit, at cum vnio intellectus in nobis sit naturalis, ita vt postea per habitus operetur quemadmodū Nauta qui in naui est cum nauigat, & propterea non se habet ut motor ad motum, quia non se habet ut forma dans esse, sed ut assitens, quæ dat nobis operationem per habitus speculatiuos. Ad alteram rationē quæ hanc sequitur, sequeretur si intellectus est immortalis, cum haberet actum diuersum a vegetatiua & sensitiua, dari pluralitatem formarum, & propterea hominem non esse vnum dicimus, esse quidem verum in homine pluralitatem formarum dari, sed formæ inferiores cum habeant rationem imperfecti si supremæ comparentur, propterea quod

quod uideatur vegetatiua corpus organicū
disponere ad sensitiuā, & sensitiua ad intelle
ctiuā possunt plures hoc modo subordinate
in eodē animato reperiri, istæ .n. virtutes in
mortalibus se se consequuntur, in quibus om
nes aut plures reperiuntur, quoniā ubi intel
lectiuum est, ibi uegetatiuum nec non sensi
tiuū adesse oportet, ita ut respectu gra
dum diuersorum plures actus esse uidean
tur: respectu autem totius animati vnus
tantum sit actus. Quare ad consequen
tiam Pōponatij non est difficile ut respon
deamus, non esse idem quod sentit et quod
intelligit, verū enim esset si intellectus actū
daret, informantem quemadmodum ve
getatiua & sensitiua cum autem nobis tan
tum assistat, est quidem vnus & idem ho
mo qui sentit atque intelligit: ut enim ho
mo sit, habet a virtute vltima, quæ informa
re potest, ut autem intellectionem exerceat
obtinuit tantum homo ab intellectu. ita ut,
& si essentia harum animarum sint diuer
sæ, indiuiduum tamen vnum constituunt.
Secunda opinio quam proposuimus est
Thomæ, qui secundum fidem inquit ani
mam nostram simpliciter immortalem esse,
eamquæ multiplicatam, quoniam infor
mat atque a Deo est creata de nouo, quod
etiam

etiam nos credimus. In uia tamen Peripatetica nullo modo sustineri potest, imo magis ad uiam Peripateticam sententia Pomponatij accedit. Esse autem immortalem animam humanam simpliciter etiam putauit Thomas, quoniam in eius fundamentis Intellectiua sensitua & vegetatiua realiter sunt eadem, quod tamen Aristoteli reputat, qui sensituiam & vegetatiuam uoluit esse in semine, intellectuiam autem de foris accedere, ita ut uirtutes quæ ortum habent a materia in homine sint corruptibiles, ueluti ex. 3. de anima tex. 20. habetur intellectum passiuum corruptibilem esse: itaque si reperitur in homine intellectus, qui est immortalis, non erunt realiter unum & idē huiusmodi uirtutes: Qui Thomam sequuntur dicunt dictum Thomæ intelligi, quod secundum essentiam non differat sed tantum secundum operationem, propterea quod corrupto homine vegetatiua & sensitua non exerceant suas operationes, quem admodum intellectiua, quæ in alio statu operatur et in patria cœlesti.

Nulla est hæc responsio, propterea quod Arist. inquit non recordamur post mortē, quia intellectus passiuus corrumpitur, quare essentia passiui intellectus, non autem se-

la operatio destruitur. Itaque si suprema materialium uirtutum interitum patitur, sensitiua & vegetatiua, quæ inferiores sunt etiam interibunt. Dare autem esse animam intellectiuam homini, apud me non recipitur, quoniã si daret esse, necessario esset generabilis & corruptibilis, ueluti vegetatiua & sensitiua quod quidem copiose a nobis in particula quinta ostensũ fuit, & in quæstio nostro demonstratum abunde. Hanc uero animam multiplicatam esse, affirmare apud me falsum est, ex sententia Aristote. 12. Metaphysic. 29. duo non sunt motores primi, quia si duo essent in materia, necessarium esset ut specie differrent & per consequens alterum altero perfectiorem fore, sed hoc est impossibile, quoniam in anima intellectiua non cadit materia, cum subiectiue à corpore minime dependeat, igitur nõ numerata ad numerum indiuiduorum, Quod sit creata de nouo, destruit alterum eius dictum, quoniam si dat esse, est necessarium ut siteducta de potentia materiæ.

at cum Thomas concludat in suis fundamentis, animam humanam simpliciter perpetuam fore, quoniam essentia vegetatiuæ sensitiuæ & intellectiue, quæ una existit, non corrumpatur, sed tantum secundum

C

operationem

operationem vegetatiua & sensitiua non autem intellectiua, propterea contra eum etiā Pomponatius insurgit. inquit enim, cum denominatio à superabundāti fieri debeat, si maneat tantum operatio intellectiue duarum autem corrumpatur, igitur erit simpliciter mortalis anima, secundum quid uerò immortalis. Miror de hoc uiro, recte, in suis fundamentis colligit Thomas, cum secundum essentiam trium graduum maneat immortalem esse, secundum quid autē mortalem, quoniam tantum destruitur operatio vegetatiuæ, & sensitiuæ virtutis. Male præterea uidetur damnare Thomam, cum inquit illum petere principiū cum statuatur animam intellectiuā immortalem, quoniā probat & demonstrat hoc Thomas fundamento accepto ab Arist. quoniam recipiens formas materiales omnes necessario est immateriale, intellectus autem recipit omnes formas materiales, igitur est immaterialis. Malè præterea uidetur redarguere Thomam qui uoluit materialem agere in immateriale, quia animæ damnatorum cruciantur ab igne. de hoc enim dubitant Theologi & materiale obiectum potest ut phantasma agere in uirtutem immaterialem.

Tertia opinio inter eas quas adduximus fuit,

fuit Pomponatij , animam intellectiuam simpliciter mortalem esse , secundum quid uero immortalem . propterea quòd cognitio quæcumque illa fuerit, supponit cognitum à materia abstractum, etsi non a conditionibus materiæ separatum virtutes sensitiuæ obiectum sentiant dantur aliæ uirtutes, quemadmodum intelligentiæ, quæ nec subiectiuè nec obiectiuè depèdent, quæ obiectum proprium & à materia & à conditionibus materiæ separatum accipiunt, quemadmodum intelligentiæ cœlestes, quæ omnino sunt immateriales : hoc autem fundamēto proposito, inquit esse rationi consentaneum, quod detur una uirtus media inter has quæ quidem alia esse non potest, nisi intellectus humanus, qui communicat cum intelligentijs, quoniam subiectiuè à corpore non dependet, atque cum obiectiue dependeat, quoniam semper est cum phantasia etiam cum materialibus uirtutibus conuenire uidetur . & per consequens huiusce modi uirtutem oportet simpliciter mortalem esse, secundum quid uero immortalē. Non est difficile tollere quod colligit hic Doctor, etenim etsi uerū sit q̃ cognitio omnis abstractum supponat, atque dari uirtutem quæ obiectiue dependeat, non tamen

C ij inferre

inferre debemus, hanc uirtutem quæ obiectiue tantum dependet, mortalem esse. quoniam etsi quodammodo secundum operationem media uideatur, non tamen est media secundum essentiam, quoniam secundum illam est in mortalis, etsi propter operationem uideatur esse cum phantasia. Præterea in eius fundamentis non potest saluari quod penes essentiam sit media anima intellectiua inter pure separata & materialia, quoniam si est media uel est per negationem extremorum, uel per ipsam participationem, non secundum primum modum, quoniam secundum eius mentem est simpliciter mortalis, igitur erit media secundum alterum modum, quod etiam dicere non potest, quoniam nihil potest participare de abstracto per essentiam, cum ipsa caducam naturam habeat. disputatio, omnis habetur de substantia animæ intellectiuæ non autem de operatione: unde patet quantum inepte ea uerba prophetæ tribuat animæ humanæ, quoniam si est simpliciter mortalis per infinitam distantiam diuersa erit ab angelis. cum æterno & mortali nihil commune esse possit. Præterea ostendo falsam esse illius conclusionem in uia Aristot. sed quia uult suo modo interpretari dictum Arist. in. 1. de Anima. 65. intellectus

tellectus uidetur esse substantia quædam in fieri non autem in corrumpi, ex quo aperte habetur differētia inter sensituiam virtutē, intellectum, quæ quidem arguit intellectū simpliciter immortalem, quoniam ab organo non dependet quemadmodum sensus. inquit Pomp. hoc dictum Aristo. intelligi de intellectu agente, & inquit illum nō corrumpi idest a contrario vel in corruptione subiecti. Non potest hæc glosa conuenire Aristo. quoniam comparatio Aristo. est inter sensum & intellectum in communi acceptum, quod hoc sit verum inquit Aristo. uidetur substantia quædam in fieri, quod de intellectu agentem ueritatem non habet sed de intellectu nostro progressu, & qui non sine imaginatione intelligit, & propterea inquit contingit ipsum intelligere & ipsum speculari marcescere quodam interius corrupto, ipsum autem impassibile est: quoniam fit sine passione habentis, quod sensituiis operibus nequaquam accidit, quæ absque passione habentis fieri non possunt, ueluti cogitare, amare, & meminisse; intellectus autem, cum non intelligat; ueluti sensus, sentit, est aliquid diuinum & impassibile. hoc etiam affirmat Ioan. Gram. qui inquit non potest effugere hunc locum, qui

quidem intelligitur de anima rationali progressa, cuius operatio corrumpitur corrupto intellectu passiuo, à quo accipit phantasmata siue species intelligibiles, Præterea mirum est, si non intelligitur de intellectu progressu & materiali, quomodo nam in senibus contingat intellectus operationem nobiliorem & longe perfectiorem esse. Præterea Pomponatium magis redarguit, cum determinat Aristo. intelligere marcescere, quod operatio agentis intellectus qui à phantasia non dependet minime patitur quia semper hic intellectus intelligit materialis autem quandoque intelligit quandoque non intelligit: præterea si possibilis fuerit mortalis, cum non sit accidens nec qualitas sed substantia, quomodo nam fieri poterit ut in senio non corrumpatur, & marcescat secundum operationem, ueluti sensibus accidit, quod tamen negat Arist. quoniam subiectiuè non dependet sed obiectiuè solum.

At cum formet contra sententiam Auer. qui statuit Intellectum progressum intelligere cum phantasia, in se manentem autem sine phantasia, hanc rationem, vnius uirtutis cum una sit operatio, intellectus humanus qui est una uirtus non exercebit duas
opera

operationes omnino diuerſas. Dicimus hoc non inconuenire ſecundum diuerſos reſpectus & ſtatus, quos vna uirtus admittere poteſt: eſſet quidem irrationabile ſi diuerſas rationes intellectus non ſuſciperet.

Ad alterum dictum Pomponatij, quemadmodum ſenſitiua non uertitur in intellectiuam, ita intellectus poſſibilis non uertitur in intelligentiam, in noſtris fundamentis hoc dictum leue eſt quoniam etſi ſenſitiua non poſſit conuerti in intellectiuam, nõ eſt propterea dicendum, intellectum poſſibilem non poſſe mutari in intelligentiam, quoniam Aristo. intellectum poſſibilem ſi agenti comparetur, tabellæ aſſimilat, in qua nihil eſt depictum, atque cum ſit eiufdem ſubſtantię cum agente, poteſt poſſibilis mutari in intelligentiam, uirtus autem ſenſitiua in intellectiuam nequaquam, cum ſint naturę diuerſę ſenſus & intellectus. Ad aliud dictum, cum declarat quid nam ſit dependere ſubiectiuè & quid nam obiectiuè. Ego quero ab eo, an dependere intelligat animam vel facultatem, animę, ſi animã, igitur tota iſta animę eſſentia eſt extenſa ad extenſionem ſubiecti, igitur accidentia huius animę & per conſequens operatio, quare ſecundum quid non erit immortalis. ſi in

C iiij telligat

telligat facultatem, etiam indiuisibilis non
erit huiusmodi facultas, quod si non indiui-
sibilis subiectiue, illam si intellectus fuerit
dependere oportebit non autem obiectiue
tantum. Nititur præterea Pōponatius pro-
posita hac distinctione, aliquid aut subiecti-
uè aut obiectiue dependere, saluare omnia
dicta Aristo. in principio. 3. lib. de anima,
intellectum quidem subiectiue immistum
esse, obiectiue autem nequaquam, similiter
est separabilis subiectiue, obiectiue autem
inseparabilis, nullius est corporis actus su-
biectiue, non autem obiectiue. An di-
cta Aristo. hanc intelligentiam admittant,
apud me dubium profecto est. primum e-
nim dictum est, intellectum immistum es-
se atque nihil aliud intelligere potuit Ari-
stot. nisi intellectum non esse eductum de
materia & ab elementorum qualitatibus,
Nam cum mixtum nihil aliud sit, quàm il-
lud quod ex quattuor elementis ad symme-
triam & proportionem quandam reductus
resultat, est necessarium ut ad ipsam elemē-
torum misionem sequatur: quare omne mi-
stum a prædominio est necessarium, cum tē-
peraturam habeat, ut sit aut calidum aut fri-
gidum, aut humidum, aut siccum, quare cū
Aristo. ait intellectum immistum esse, intel-
ligit

ligit nullam sapere elementorum qualita-
tem. Etenim si esset mistus subiungit Ari-
sto. esset qualis, cum autem non sit qualis,
est profecto immistus. Quare cum Pomp.
dicat mortalem esse intellectum, simpliciter
est necessarium ut sit qualis, quoniā resulta-
bit ex mitione ipsorum elementorum.
Aliud dictum Aristote. quod sit separabilis
obiectiue non autem subiectiue etiam non
intellexit, quoniam Aristote. hoc dicit de in-
tellectu, ut faciat differentiam intellectus à
sensu, quoniam sensus cum organo corpo-
reo utatur, subiectiue dependet, obiectiue
autē, quoniam a speciebus sensibilibus de-
pendet, intellectus autem cum nec secun-
dum esse nec secundum operationem à cor-
pore dependeat, est separabilis & per conse-
quens immortalis. quare illa distinctio nō
conuenit, cum secundum essentiam separa-
tum uelit Aristote. intellectum esse, qui qui-
dem etiam operationem habet separabile.
Aliud dictum fuit nullius corporis actum,
inquit ipse subiectiue non autem obiecti-
ue, ego uellem intelligere ab eo, quomodo
intelliget esse actum obiectiue, si dixerit q̄
operatio intellectus obiectiue dependeat
à specie non tamen ut sensus. tunc quæro
quid per actum intelligat, non potest cum
Aristote.

Aristo. respondere nisi formam, qui à materia distinguitur, quæ potentia existit, quare uelit nolit, erit forma substantialis, si forma substantialis, aut dabit esse aut nō, si non, habeo intentum, si uero dat esse & subiectiuè non sit actus sed tantum obiectiuè, igitur est immortalis, non autem simpliciter mortalis. Cum autem inquit dictum in lib. de animalibus Naturalem non dicere de omni anima, quoniam non de intellectu. intelligi de diuino intellectu non autem de humano. Miror de hoc uiro, primum enim ibi facit mentionem Aristote. de anima per quam animal est, deinde dubitat. ad quem terminum Naturalis formas consideret atque inquit non de omni anima, quoniam quolibet non est principium motus, si hoc dictum de intellectu diuino prolatum esset, non diceret Arist. de omni anima, quoniam intellectus diuinus cum nō respiciat corpus, anima dici non debet. Præterea de hoc non erat opus, Arist. dubitare, quoniā satis constat, diuinum intellectum ad Naturalem philosophum non spectare; dictū autem illud quòd Mens sola extrinsecus accedat, primum ait de uera Mente non autē de humana intelligi, deinde autem quod si de humana intelligatur, dictum esse ad differē-

ferentiam vegetatiuæ & sensitiuæ, quorum utrumque apud me stare non potest primū quidem propterea quod Aristote. loquitur de illis uirtutibus, quæ cum semine esse uidentur, quod diuinus intellectus non patitur. Secundum etiam non ualet, quoniam dixit Aristot. Mens sola non autem comparata alijs uirtutibus. Dicitur etiam. 12. metaphy. de intellectu ut intellectus exponit, de quo quæstio non formatur, cum dicat Aristot. dubium esse vtrum aliqua formarū remaneat, cum itaque sit comparatio quædam oportet ut aliqua similitudo, cadat inter humanum & diuinum intellectum, quæ non nisi ad immortalitatem referri potest, quæ ab essentia oritur, cum quæsitum sit de essentia non autem de operatione.

Ad Scotum præterea, qui mortalitatem animæ defendit in uia Peripatetica necessarium est ut disputationem conuertamus. Nullam in nostris fundamentis illius conclusio veritatem habet, etenim cum ait Animam intellectiuam dare esse quoniam nisi daret esse homo esset animal irrationale, dico nullam esse consequentiam quoniam & si homo sit animal rationale, non est tamen per intellectum sed per cogitatuam intellectum autem tantum dicitur intelligens. Etenim

nim homo per cogitatuam discurrit quæ dicitur intellectus particularis, qui est à materia eductus, & forma dans esse homini, quod Thomas affirmare fuit coactus intellectus itaque cum non det esse specificum homini non est mortalis Atque non solum ab Auerroe ueluti existimauit hoc dictum fuit sed a Simplicio & Them. qui comparant intellectum Soli: sed potest forte excusari quoniã tunc non erant apud Latinos Græci. subiungit præterea Scotus, qui acerrime in Auerroem inuehitur, hoc esse naturaliter notum animam dare esse specificum, quod profecto non ita se habet cum Arist. ad animæ definitionem adiungat immanifestum esse, utrum anima sit actus sicut nauta nauis & propterea argumentum etiã sumptum ab animæ definitione mortalitatē illius arguere nō potest. At cum uideret dictum Arist. suę sententię aduersari quoniam inquit uideri intellectum quoddam genus animæ & separari ueluti perpetuum a corruptibili, inquit hoc nō arguere ipsum immortalem fore sed separatum organice ita ut ratione operationis dicatur separari non autem ratione essentię. Hæc Scoti expositio falsa est quoniam Arist. in 19. & 20. textu dubitationem mouet de partibus essentialibus ipsius Ani-

Animę, quia anima est quoddam totum.

Quare dubitat, vtrum partes animę siue potentię possint separari subiecto & loco adinuicem, an sola ratione, ita ut de operatione non loquatur. cum dicat in quibusdam patere illas non separari atq; tandem statuit de intellectu, videri quoddam genus animę quod ab alijs separatur ueluti perpetuum a, corruptibili. Pręterea si expositio Scoti cõueniret male ab Arist. determinatum fuisset, non recordari post mortem, quoniam secundum operationem esset mortalis.

Soluens postea dictum Arist. in 3. de Anima intellectus a uehementi intelligibili non patitur quemadmodum sensus a uehementi sensibili, inquit non pati intellectum, propterea quod non dependet subiectiuę ab organo quemadmodum sensus, atque subiungit sensum pati per accidēs, quia organū lęditur, ueluti etiam affirmat Arist. in primo de anima 65. Si senex haberet oculum iuuenis, uideret ut iuuenis: verum enim est intellectum obiectiuę tantum dependere, & propterea non pati a uehementi intelligibili, immo ab excellēti intelligibili perficitur intellectus: itaq. videmus illum in senibus diuiniore facere operationes, quoniam maiora intelligibilia intelligunt quàm iuuenes.

nes. falsum tamen est intellectū cum obiectiue dependeat, dicere mortalem, veluti contra Pompo. indicauimus. falsum etiam est dicere, sensum pati per accidens, non autem per se, quoniam id quod patitur ab excellenti sono, aut odore, non est ipsum organum, sed est organum actu animatum, ipsum .s. sensiterium. Etenim nisi prædictus esset oculus anima sensitiua, hoc pacto à sensibilibus non pateretur, Nam in 2. de Anima 10. ait quemadmodum ex corpore, & anima resultat animal, ita ex oculo, & visu ipsum organum. Quæ res ut intelligatur, repetenda breuiter sunt, quæ dicta fuerunt in definitione animæ: anima enim, quæ est actus corporis, sensitiua uidelicet, & cogitatiua, quæ dant esse specificum, duplici funguntur officio, primo animant & perficiunt organum, deinde uero illo utuntur. Et tunc corpori siue organo comparantur ut utens non ut forma, quia utuntur organo ad operationem: ita ut in senio ut informans per se corrumpitur sensitiua virtus, cum tabescit organum, ut utens autem per accidens. Et cum hoc non cognosceret Scotus, qui Græcos non uidit, incidit in hoc peccatum. Præterea cum ait intellectum, dare esse, & esse corruptibilem, non
pati

pati tamen in senio, nec a vehementi intelligibili, quoniam ab organo minimè dependet, miror de hoc viro, qui teneat in fundamentis Peripateticis hoc quomodo enim fieri possit, ut det esse specificum & non dependeat ab organo, videre non possum, quoniam virtus, quæ informat in esse & conseruari a subiecto dependet. intellectus enim tantum dependet a phantasia & respectu operationis, quare per accidens patitur cum intellectus passius corrumpitur, in quo sunt phantasmata, quæ propter sapientissimi senes aliquando delirant, quoniam virtutes sensitiuæ marcescunt, ita ut per accidens intellectus patiatur non autem per se ueluti sensus. Peccat quin etiam Scotus cum liberat intellectum ab organo, inquit ubi reperitur, igitur operatio intellectus, respōdet in intellectu. igitur est substantia separata, inquit minimè, quia est in homine intellectus ueluti pars, & per ipsum homo intelligit. Hæc dicta Scoti apud me sunt impossibilia quoniam hoc dato sequeretur formā nō facere operationem sed organum visus enim tantum recipitur in organo potentia animato quod operationem exercet est ipse visus. Exponens tandem dictum q̄ mens sola extrinsecus accedat

dat inquit hoc esse, quia Anima produci-
tur a Deo. quero ab eo, quando Anima pro-
ducitur a Deo, producitur ne per generatio-
nem aut creatione, nō creatione noua, quā
Peripatetici non concedunt, igitur genera-
tione, si generatione non erit immediate a
Deo, quia ab agente eterno immediate non
fit nouum. igitur a Deo non producitur.
De opinione Alexandri, qui etiam animæ
humanæ siue intellectus possibilis, qui est
pars animæ nostrę, mortalitatem profitetur
cum nihil aliud sit quàm forma educta ex
perfectissima mistione elementorum, non
est ut multum laboremus, cum satis illam
cum Auer. in com. 5. fustulerimus, illud au-
tem contra eum modo afferemus quomo-
do nam sit possibile intellectum agentem,
qui immortalis est, & Deus naturę mortali
vniri possit ut forma, per quam intelligat
de quo etiā abunde in 36. com. differuimus.
Omnibus autem cōfutatis, quæ intellectus
humani mortalitatem profiteri videbantur.
operepretium est ut statuamus, quid nā sit
tenendum in hac materia. Quod ut com-
mode fieri possit, duo proponimus, primū
q̃ intellectus habeat essentiam distinctam
a sensu alterum autem quōd simpliciter sit
immortalis secundum quid vero mortalis
primum;

primum, verum esse ex eo ostendi potest quoniam definitio de anima, est analogica, cui correspondet natura specierum analogatarum, quare istas species inter se distinctas esse oportet. At cum Latini uideantur hoc negare, nos rem ita esse comprobare possumus quoniam Arist. cum dederit communem Animæ definitionem subiungit, & propriam cuiusque gradus dicendam fore, & priorem naturam esse vegetatiuam sensituiam, quod in eodem intelligitur, non autem in diuersis quoniam in eodem animato posita sensituiam ponitur vegetatiua, & posita intellectiua nisi mortalibus alię ponuntur, quia sicuti se habet vegetatiua in sensituiam, ita & sensituiam in intellectiua, quoniam in consequenter se habentibus posito primo non ponitur secundum, at posito secundo ponitur primum. Itaque essentia graduū animæ cum se se consequatur, posita posteriori dabitur prior, & per consequens communem Animæ definitionem analogam esse oportet. Secundum autem a nobis positum, ut intelligatur Animam scilicet intellectiuā immortalem fore secundum quid autem mortalem, intellectum quattuor modis dici, certum est. de possibili, de in habitu speculatiuo, & agente. Vnusquisque horum modorum arguit

D intel-

Intellectum corruptibile, quoniam omne quod incipit, necessario definit: cum autem intellectus materialis in Sphæra non detur sed tantum in puero nuper nato, cum inceperit in Socrate, ut ita dixerim necessario definit. Similiter intellectus agens in Socrate incipit, quoniam illi copulatur, ut forma & cum agens illi copulatur, intellectus in habitu, qui genitus est definit intellectus etiam in actu speculans, cum de non speculari transeat ad speculationem; uidetur genitus cum autem amplius non speculatur actu, definit esse intellectus actu speculans. ita ut intellectus quodammodo, & propter diuersos respectus quos suscipit, dicatur corruptibilis et factus. secundum autem substantiam cum eadem sit substantia intellectus agentis, & possibilis dicitur eternus & simpliciter immortalis, quod rationibus ab Arist. acceptis ita esse ostendi potest. Omne enim formas omnes materiales recipiens est immateriale intellectus autem possibilis recipit omnes formas igitur est immaterialis, est autem necessarium tale recipiens esse immateriale. Quoniam quod intus est extraneum prohibet. Pomponatius tamen studet destruere hanc rationem, primum enim inquit illam non concludere propterea quod si intellectus

ctus materialis esset separatus sequeretur, & suam operationem separatam fore, quia operatio ipsam essentiam consequitur: at Arist. inquit si intelligere est sicut sentire, ecce quod comparat operationem intellectus operationi sensus, igitur videtur hæc ratio potius intellectum mortale probare, quam immortalem. Nulla est hæc ratio Pomponatij, quoniam sequeretur intellectum esse uirtutem materiale, quod dictum Arist. omnino negat. præterea videtur committere fallaciam a secūdum quid ad simpliciter, propterea quod non ualet, possibilis obiectiue depēdet, igitur omnis intellectus. At cum Alexan. velit animam intellectiuā siue intellectum possibilem non esse formā, sed præparationem quandam, quæ & si recipiat omnes formas, esse tamen mortalem, peto ab illo quid per præparationem intelligat, uel intelligit puram priuationem, uel priuationem cum aptitudine, non primum: quoniam priuatio sola nihil recipit, igitur priuationem cum aptitudine illum intelligere oportet, igitur erit forma: si forma, ergo materialis, quare præparatio hæc non recipiet omnes formas. Adiungit præterea Pomponatius, intellectus unicam tantum operationem habet, propterea quod

vnus virtutis unica est operatio. cum itaq;
intellectus sit vna uirtus, quę media est inter
pure materiales & omnino abstractas, vna
erit eius operatio: esse autem mediā ex eo ni
titur ostendere, quoniā intelligit vniuersale
in singulari, & quatenus intelligit vniuersa
le, cōmunicat cum abstractis, quatenus in
singulari cōmunicat cum materialibus, pri
mum dictū sublatum fuit, nō inconuenire
quod vna virtus diuersimode se habens, di
uersas exerceat operationes, secundum di
ctum apud me nullum est, quoniam intel
ligere substantiarum quę omnino sunt se
paratę, est intelligere per essentiam, intelli
gere autē intellectus est vniuersalis per spe
ciem, si itaq; hoc intelligere non conuenit
substantijs omnino separatis, quomodo nā
erit media participatione extremorum, qua
re erit adhuc ex hoc fundamento intelle
ctus pure materialis.

Secunda ratio, quę nostram sententiam
confirmat, accipitur ab Arist. in 3. de Ani
ma. 13. & 15. in quibus proposita in 13. quę
stione an intellectus sit intelligibilis quem
admodū alia materialia intelligibilia, soluit
in 15. Et intelligibilis est sicut ipsa intelli
gibilia in his quę sunt sine materia idem est,
quod intelligit, & quod intelligitur, qui lo
cus

cus non est cum Latinis interpretandus, sed intellectum esse intelligibilem, cum possibilis habuerit intellectum agentem ut formam, tunc est intelligibilis per speciem, quæ actu est scilicet per formam intellectus agentis, & est intelligibilis ueluti intelligentiæ etenim si intellectus intelligeretur quæadmodum dicunt Latini, esset intellectus de terioris conditionis lapide, quoniam lapis per suam speciem intelligitur per se, intellectus vero per accidens, intelligendo lapidem per suam speciem. Quare intellectus materialis, & si uideatur intelligibilis sicuti alia intelligibilia materialia per speciem, non tamen eodem modo quoniam intellectus intelligibilis per suam formam fit intelligens, intelligibile autem materiale minimè, de quibus fusius in explanatione eius loci diximus.

Tertia ratio accipitur a quodam notabili, Quoniam naturalis philosophus uidetur dare duo fundamenta Metaphy. primū quod detur abstractum in natura, nam si Metaphy. ignoraret abstractum, eum non determinaret, alterum fundamentum est quod naturalis supponit abstractum, & quod abstractum a magnitudine fit intelligens, quod tribuit animasticus sine quo Metaphy.

phy. non haberet, quod abstractum sit intelligens. Ad rem si intellectus esset mortalis, non daretur Metaphy. quoniam per nullam naturam posset haberi abstractum esse intelligens, intellectus enim qui mortalis est non potest habere eandem operationem, cum intelligere intelligentiarum, quare si esset mortalis, non haberetur cognitio eorum, quæ per essentiam sunt separata. Vltima ratio quæ immortalitatem Animæ confirmat, est quoniam felicitatē acquiri posse conueniunt Peripatetici omnes, quæ habere esset impossibile, si intellectus esset mortalis. Pomponatius discurret agēs de felicitate, illam contingere hominibus, quoniam omnes sibi inuicem sunt auxilio, alij enim agunt secundum intellectum practicum, alij autem secundum intellectum Speculatiuum: rectē in hoc dicit, sed fallitur, cum velit hominem esse hominem per intellectum, ideo homo exercet operationes morales per formam, qua est homo, & propterea inquit Auer. q̄ moralis capit finem hominis in eo quod homo, qui quidem finis est cogitativa, & ideo felicitas non competit homini ut homo, sed ut in eo quoddam diuinum reperitur. 10. Ethic. cap. 9. Alia uita, & finis potior isto, ideo
nos

nos cum homines simus, non debemus humana curare, sed peruenire ad immortale & sempiternum, per id quod in nobis diuinum est. De quibus fufius in expositione com. 36. 32. de Anima diximus.

F I N I S.